CLEMENTIS XII.

LAUDES

Illustrissimo, ac Excellentissimo Domino

D. NEREO CORSINO

P. O. M. NEPOTI CLARISSIMO &c.

EXHIBITÆ

A

PETRO JOSEPHO BONAMICO.




BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ROMÆ, MDCCXXX.

Typis Antonii de Rubeis, è foro Rotundæ, in via ad Seminarium Romanum.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

Illuſtriſſimo, ac Excellentiſſimo Domino

D. NEREO CORSINO.

PETRUS JOSEPHUS BONAMICUS
FŒLICITATEM.



Iraberis fortaſſe, EXCELLENTISSIME DOMINE, *audaciam pluſquam juvenilem; me ſcilicet nullius notæ hominem non opportuna hujus Orationis ſedulitate tui Nominis dignitatem provocare. Sed quærenti mihi, multumque, & diù cogitanti quanam re poſſem animi tui gratiam, ac favorem mihi conciliare, nulla potior occurrebat, quàm ſi* PATRUI TUI SANCTISSIMI *laudes tibi conſecrarem,*

Digitized by Google

inter quas tuas vel invitus agnosceres. Ridebis rudem inculti, horridique sermonis rusticitatem, vitreas, fractasque sententias; verùm argumenti magnitudo nobilitabit verborum infantiam, dictorumque humilitatem, tuamque alliciet benignitatem, quæ etiam animum dedit, ut ultro ipse accederem. Neque temerè videar egisse, si, licet LAUDATISSIMI PRINCIPIS *res præclarè gestas complecti orando me posse diffiderem; illas tamen voluerim attingere; Nam in magnis, ut ait latinus Callimachus, voluisse sat est. Præterea, si hi tantùm, qui tantæ rei dicendo respondere possint,* GLORIOSISSIMI PONTIFICIS *rectè facta laudabunt, nemo profectò reperietur; quanquam Cicero, Demosthenesque, alter Romanæ, Græcæ alter eloquentiæ Princeps, existant.* DUODECIMI *enim* CLEMENTIS *est, nullius facundia posse satis laudari. Restat igitur,* EXCELLENTISSIME DOMINE, *ut te orem obtesterque, ut velis humaniter me suscipere, & munusculum, quod offero majora daturus,*

Cum fluet ante tuos Purpura sacra pedes.

ORA-

ORATIO.



I quantum in Te, B. P., & virtutis eſt & dignitatis, tantum in me eloquentiæ, ac facultatis in dicendo eſſet, ſperarem profectò, & confiderem fore, ut ſingularia tua eximiaque facinora, ſi non exæquarem oratione, quod utique fieri non poteſt, at fortaſſe propriùs accederem. Nunc autem cum & Tu non modo eorum, qui nunc ſunt, ſed etiam veterum, qui ante Te claruerunt, famam gloriæ magnitudine, & rerum præclarè geſtarum copia non ſolum æquaveris, verum etiam, ſi fas eſt dicere, ſuperaveris, idque effeceris, ut nulla Tuis par meritis laus inveniri poſſit: & ego neque uſu, qui ſim adoleſcens, neque ingenio, qui rudis, neque facundia, qui indoctus, valeam, quo tandem animo hanc tàm arduam tamque difficilem provinciam me ultro ſuſcepiſſe exiſtimas Sanctissime Pontifex? Nam ſi delatum ad me munus non recuſaſſem, ab eo ſanè excuſationem meam repetere potuiſſem, quod alienæ voluntati non obtemperare rem minimè ingenuo adoleſcenti dignam fuerim arbitratus. Verùm cum volens libenſque hunc laborem, hanc difficultatem aſſumpſerim, atque in tanta tuarum rerum varietate verſer, quid ſim acturus, neſcio. Etenim ſi quid af-

feram, quod non ſit omni ex parte ingenio perfectum, induſtriaque elaboratum, erunt, qui me inani quadam ineptaque gloriola, nulla mearum virium habita ratione, ductum eſſe dicent. Sed, utcumque ſit, juvat, Princeps Optime, primos hoſce creſcentis eloquentiæ fructus tibi offerre, qui ſi neque maturitate, neque ſuavitate commendantur, hoc ipſo, quòd primi ſunt, gratiores tibi eſſe debent; juvat in ea primùm cauſa ingenii mei, quantum quantum eſt, periculum facere, quam, ſi rectè præclarèque egero multùm inde in me honoris atque exiſtimationis derivabitur, ſin ſecus, id non meæ imbecillitati, quanquam & imbecillitati meæ, ſed tuarum virtutum magnitudini tribuendum omnes putabunt. Quæ enim tanta poteſt exiſtere facundiæ ubertas ac vis, quæ hujus Summi Pontificis laudes complecti orando ſe poſſe ſperet? Qui nobiliſſima in Civitate, præclariſſima è Gente ortus Patrum ſuorum claritatem proprio lumine auxerit, & maximum ſibi à majoribus ſuis relictum gloriæ patrimonium non ſervaverit ſolùm, ſed etiam dignitate, quæ ſumma eſt, & qua nulla unquam major inter homines extitit, amplificaverit: Qui Romæ ideſt præ univerſi Orbis oculis ita honeſtè integrèque vixerit, ut ab omnibus omnium ordinum hominibus ſui amorem, atque admirationem expreſſerit: Qui honoribus ita uſus fuerit, ut dignus illis videretur: Qui denique hanc celſiſſimam hujus Imperii ſedem incredibili omnium Cardinalium conſenſu, incredibili totius Chriſtianæ Reipublicæ lætitia aſcenderit meritiſſimè, quique in ipſo regnandi exordio tot tantaque dede-

dederit liberalitatis, justitiæ, ac gravitatis signa, ut maxima omnia omnes de illo sperent, ac jàm sibi ipsi polliceantur.

Quod si ad perfectam, cumulatamque tui nominis celebrationem, & urbis, in qua natus es, nobilitatem, & generis spectare autumamus, volumusque Fortunæ bonis egregias animi Tui dotes æstimare, utraque certè in Te mirificè elucet. Nam Florentina Civitas totius Hetruriæ lumen, atque ornamentum, potentissima quondam Respublica, nunc verò sapientissimis Principibus fœlicioribus administrata auspiciis, spectatissimis domi, forisque Civibus aucta gloriosissima Tibi præbuit incunabula. Illa Cœli amænitate, illa ædium pulchritudine, illa Templorum, Delubrorumque splendore celebratur. Illa scientias omnes à Mediceis Heroibus revocatas, ac restitutas, ita excoluit, ut à Posteris omnibus tanquam humaniorum artium altrix, ac Magistra semper ferenda sit, ac prædicanda. Illa huic ipsi Romano Imperio quinque optimos laudatissimosque Pontifices, Leonem videlicet Decimum, Clementem Septimum, iterum Leonem, iterum Clementem, postremò Te misit, quem præsentem colimus, atque intuemur, in quo non utriusque Clementis constantiam, ac religionem, non Leonis Decimi munificentiam, ac liberalitatem, regiumque animum desideramus; Imò tu unus, quas de altero Leone Undecimo, quem universi Orbis fœlicitati Fortuna invidit, P. R. spes suscepit amplissimas, ad exitum benè, feliciterque perduces. Agè verò quibus verbis ornari potest Corsina Gens tot fascibus, sacrisque

que Infulis ornata, Toga, Sagoque illuſtris? Ex qua, tanquam *ex Equo Trojano* Græcorum Principes, tot præſtantiſſimi Senatores, quorum eſt copia digna hujus gentis gloria, tot equites nobiliſſimi, tot ſapientiſſimi Præſules, tot prudentiſſimi Oratores, tot denique inviɛtiſſimi Imperatores prodierunt? Hæc inſignes Vaticano Proceres: Hæc Cœlo etiam Divos dedit conſilio, ac pietate clariſſimos. Itaque donec religioni honos habebitur, donec rei militaris, donec prudentiæ ſtudium florebit, florebit quoque Corsinorum nomen & fama. Sed quid ego plura de Tui Generis nobilitate? quaſi ab his rebus viri ſapientes laudis præſidia ſibi quærant, atque ornamenta. Quamquam multùm, ad arduam virtutis viam acriùs inſiſtendam, conferat Proavorum rebus geſtis quaſi admoneri. Inſidet enim in nobili quoque præclara quædam ambitio, qua ad optima quæque concitatur, ſiquidem turpe exiſtimat indignum ſe ſuis majoribus videri, ad nominis autem prædicationem accomodatiùs ad eorum imitationem ſuam vitam, ut ita dicam, efformare. Hinc Themiſtoclem illum conſervatorem Græciæ Milciadis Triumphis excitatum accepimus. Tu quoque B. P. Patrum tuorum fama concitatus, atque admonitus non quid ab illis accepiſſes, ſed quid illis deberes reputaſti, ut bona, quæ in Te erant à nobilitate inchoata, virtute perficeres.

Itaque ſtudiis illis, quibus Pueri, & nobiliſſimi Pueri ætas informari ſolet citiùs expeɛtatione omnium, pro Tui ingenii celeritate inſtruɛtus, cum Patriæ mœnibus quaſi nimiùm anguſto, atque exiguo ſpatio circum-

cumſcribi indignaretur animi Tui magnitudo, hanc tecum Romæ pœnè Puer attuliſti.

Eo jam inde ab initio nata fato Roma eſt, ut quod ubique terrarum egregii exortum eſſet una ſuſciperet. In hanc enim tanquam in communem quandam nationum omnium, ac totius terrarum Orbis Patriam, qui inſignioribus artibus valent, confluunt; vel quia adhuc in eorum mentibus ita reſidet veteris illius Romanæ majeſtatis memoria, & veneratio, ut Viri doctrina, atque induſtria præſtantes præclarè ſecum agere arbitrentur, ſi eam Urbem incolant, in qua fuit terrarum Imperium, & quam Scipiones, Maximi, Tullii, Cæſares, ſuis, propè dicam, veſtigiis conſecrarunt; vel quia hic eſt ad Honorem via expeditior, hic longè ampliora virtuti præmia oſtenduntur. Quorſum iſta? ut omnes intelligant, quam difficile ſit, in tanta celeberrimorum hominum ex omnibus Nationibus, Regnis, ac Provinciis confluentium multitudine unum excellere. Tu inventus es B. P. qui unus cæteris omnibus antecelleres adoleſcens. Quod etiam difficiliùs eſt, atque adeò glorioſiùs. Nam ætas illa facilè in vitium flectitur, facilè voluptatibus impellitur, & blandimentis illis, quæ natura ei videtur conceſſiſſe liberiùs à recta rationis ſemita facile avocatur. Quantæ igitur virtutis eſt Adoleſcentem Romæ ita vixiſſe, ut à Doctis, & majoribus natu diligeretur, coleretur ab æqualibus, ab omnibus ſuſpiceretur? Quæ omnia quis adeò miretur, ut mirari tùm demùm non deſinat, cum tantam in Te eſſe in ſcientiis omnibus peritiam, tantam in moribus ſuavitatem,

tantam in vultu comitatem intelligat, atque intueatur; ut non dicam ab amicis, verùm ab invidis ipsis amorem, ac benevolentiam exprimeres: Ut mihi hæc cogitanti P. B. divinis quibusdam bonis instructus, atque ornatus videare. Itaque, cum Civitas hæc sit acerrima factorum inspectrix, ut nulla suos oculos vel errati labecula prætereat, in Te ne suspicionem quidem animadvertere potuit. O Adolescentiam præclaram, & quam omnes nobiles Adolescentes, qui viam sibi ad dignitates diligentia, industriaque muniunt, quique à bonis viris, & benè natura constitutis diligi cupiunt, sibi proponant ad imitandum! Quapropter sicut in herbis futuræ maturitatis indicia cernuntur, ut, qui eas inspiciat, frugum ubertatem jàm spe præcipiat, ita in tua prima ætate tàm laudabiliter acta omnium tuarum virtutum quasi principia, & causas apertissime agnoscimus.

Quare his tuæ laudationis jactis velut fundamentis intelligi facilè potest quanta fide, temperantia, muneribus illis, quæ tuæ sunt ornamenta virtutis, non fortunæ, fueris perfunctus. Quæsturam, ut alia prætercam, regnante acerrimo virorum æstimatore, assequeris; qua in administranda vestigia non leviter pressa probitatis, & continentiæ reliquisti ad posterorum memoriam sempiternam. Inde ab eo Pontifice, cujus nomen, & gesta renovas, inter Amplissimi Orbis terræ Consilii Principes relatus, dici vix potest, quantum Senatui decoris, quantum Christianæ Reipublicę luminis, atque ornamenti attuleris. Jam tùm antequam imperares, dignus imperio visus es. Regium siqui-

siquidem mihi videtur non diademate ornari, non militum, ac servorum frequentia circumfundi, non auro, non argento, non divitiis omnibus affluere; sed ita vivere, ut nullis cupiditatibus servias, ut possis in consiliis sentire liberè, ut magis alienis, quàm tuis commodis consulas, ut nullis illecebris à recti opinione dimovearis: Quæ omnia tu semper B. P. in illa autem summa dignitate, ut quàm maximè, & diligentissimè præstitisti. Hinc aucta Religionis commoda; Hinc eloquentissima tua vox pluris à Pontificibus æstimata; Hinc tibi Justitiæ, præcipuarumque rerum Præfecturas demandatas vidimus, ut te jam tùm Justitiæ vindicem, Religionis assertorem, Pacis custodem P. R. & universus orbis sentiret. Nam quid ego splendorem in publicis, moderationem in privatis, pietatem in Deum, liberalitatem in Pauperes, in eruditum quemque amorem, ac benevolentiam commemorem? Tua sanè Domus adeò quotidie doctissimis, præstantissimisque viris referta erat, ut non Principis Domicilium, sed Doctrinæ perfugium, non Cardinalis ædes, sed Sapientiæ Templum & videretur, & esset. Verùm liceat hæc respectanti tantùm, atque intuenti relinquere, ne, si plura exequi voluero, videar hac tua modestia, ac patientia abuti; & simul ad ea, quæ in ipso sacri Principatus exordio edidisti, festinat Oratio. Nam tantis in rebus probatus, cum longè latèque tuarum virtutum gloria percrebuisset, in isto hujus divinæ Majestatis fastigio seriùs omninò, quàm communia vota postulabant, sed tamen aliquando collocaris. Centesima & vigesimaquinta lux hæc est ab eo die, quo renun-

nuntiatus es Pontifex; Ecquam regionem esse putas tàm barbaram, tamque in ultimis terris constitutam, quam non tuæ dignitatis fama, ac lætitia peragraverit? Nam, ut omittam privata gaudii nomina, quibus omnes Nationes, ac Civitates perfuderis; Has bonas literas, hæc præclara studia in pretio qui habet, poterit non gaudere, cum tàm latam, atque in omnes terras patentem ditionem ad eum pervenisse videat, qui & liberalitate possit, & ingenio velit eas complecti, & à quo magna nobilissimarum disciplinarum seges sit expectanda? Qui Justitiam sanctam apud omnes haberi vult, maximam non dabit voluptatis significationem, cum Regni eum tractare habenas intelligat, qui non quid posset, sed quid sibi liceret in omni sua vita cogitarit? Qui Jura omnia humana, ac divina peritissimè tenuerit? Religionem sanctissimam esse qui putat, is non exultabit, cum ille sit Princeps, ac rerum Dominus, qui pietatem coluerit semper, Divorum Templa ornarit, celebrarit, semper improbis, semper impiis sit adversatus? Qui denique Ecclesiæ omnium Parentis angustiis, ac solicitudinibus commovetur, is verò maximas non aget D. O. M. gratias; qui Petri Naviculæ eum adhibuerit Magistrum, quo regente, nemo non modò naufragium expavescat, sed ne ullam quidem à recto cursu declinationem timeat? Quare juvat B. P., juvat illius diei jucunditatem ad memoriam revocare, cum primùm es inter civium plausus, & studia vulgi Vaticanum ingressus. O lux illa fausta huic Urbi, bonis omnibus salutaris, quæ tantas humano generi utilitates attulisti, cum Civitas tota ad

te

te unum aſpiciendum conflueret; cum tecta ipſa Urbis ac mænia viderentur hac tua dignitate lætari. Quæ tum laudum effuſio? Quæ populi alacritas? Qui concurſus? Quæ gratulationes? Auditæ voces te Patrem Patriæ, te Conſervatorem Italiæ appellantium. O ſolem ipſum beatiſſimum, qui, antequam ſe abderet, ampliſſimæ Urbis celebritatem novo Pontifice exultantis viderit. Itaque B. P. cum Te uno ſtudio omnium, una voce P. R., uno orbis terræ conſenſu, Numinis etiam teſtimonio, qui agrorum ubertate regnum ad Te delatum comprobavit, in Cœlum laudibus efferri videres, ea primùm animo Tuo cura inſedit, ut tantam de Te hominum expectationem ſuperares, & vinceres. Viciſti B. P. viciſti. Teſtantur iſtud adauctum ærarium, delecti ad Conſilium, qui peritia legum, & morum integritate cæteris antecellerent, quique legationibus obeundis, religione augenda optimè erant de Eccleſia meriti Purpura donati. Penè omiſeram faciles ad Principem aditus, vultum in omnes blandum, atque humanum. Quanta in illo Dignitas? Quanta Majeſtas? Quanta etiam amoris, ac benevolentiæ argumenta? ut Amoris cum Majeſtate certamen, ac ſtudiorum contentionem ipſe unus ſedaſſe, atque à ſumma abalienatione ad concordiam aliquando revocaſſe videatur. Quid dicam de eo, quod præcipuum eſt, ac tàm amplum, tàm eximium, tàm laudabile, ut in hoc uno cuncta ineſſe Divini Pontificis munera ſit exiſtimandum, de eo, inquam, quòd inteſtina Chriſtianæ Societatis jàm jàm impendentia bella averteris, & incendiorum,

rum, quæ longè, ac latè insurgere videbantur semina penè restinxeris? (Atque utinam, quod rectè inchoasti, fæliciter perficias.) In quo quid prius admirer? Prudentiam? an celeritatem? certè utraque in te laudanda est. Sed Prudentia te nonnullis aliis, qui ante te fuerunt, Principibus parem facit, superiorem Celeritas. Nam, qui seditiones, ac bella prudenter componerent, fuerunt etiam ante te Plures; verùm, qui tanta celeritate, & paucis, vix credi potest, diebus, non sedaverit flagrantia, sed averterit impendentia, cum omnes jam ad bellum ruerent, ipsumque expostularent, eum præter te fuisse non vidimus, non audivimus, non legimus. Possumus igitur dicere veréque dicere P. B., Tecum istud terrestre D. O. M. Solium Justitiam, Tecum Liberalitatem, Tecum Clementiam, Tecum Pietatem, Tecum etiam frugum ubertatem, Tecum denique Otium Italiæ, tranquillitatem Germaniæ, Hispaniarum Pacem, quietem Galliæ, salutem omnium, atque incolumitatem ascendisse. Quare tibi, PRINCIPUM SANCTISSIME, ex animo, atque verissimè gratulamur, eòque magis, quòd in Te omnes, quæ in præclarissimo Christianæ Reipublicæ Præside virtutes inesse debent, elucere intuemur; tum Numen illud Immortale, cujus consilio, ac voluntate Divina hæc potestas tibi contigit, oramus, precamurque, ut idem Te servet, bonisque omnibus augeat: ut nobis, Patriæ, universo terrarum Orbi quàm diutissimè vivas, Gloriæ autem semper, æternùmque vivas. Dixi.

ELE-

ELEGIA.


Icelides alius Pindi sectetur ad alta,
Et capiti imponat laurea serta suo,
Quem labor exagitet nullus, nulla invida cura
Cui Phœbo, & Musis Ocia grata fuget.
Me mea Paupertas vitam traducere inertem
Non patitur, studiis nec vigilare bonis.
Aspera Paupertas Musis inimica, bonisque
Vatibus, in nostra quid juvat esse domo?
Quære alias sedes, alios jàm quære penates,
Defer ad immanes & mala cuncta Getas.
Odit Calliope tristes Jove nata querelas,
Odit Dux sacri lætus Apollo Chori.
Mi quoque curarum oblito, sortisque severæ,
Arridet calamis fistula disparibus;
Fistula, quæ longo mecum jàm pressa labore
Desuerat dulces edere mœsta sonos.
Nempe ad Permessum vocat, Aoniamque Aganippem,
Qui me non humilis spiritus intus agit;
Ut celebrem MAGNI CLEMENTIS *grandia facta,*
Queis Ipse implevit solis utramque domum.
Ipse quidem dignus, cui vates doctior aptum
Diceret argutis carmen arundinibus,
Et quem, Magne Maro, vel posthabito Messalla
Cantares teneris, blande Tibulle, modis.

O mi-

O mihi dilecti, Romanique umbra Tibulli,
Quam Venus ipsa nemus duxit in Elysium,
Dic quo tàm cultum tenuasti carmen in antro,
Messallæ caneres cum fera bella Ducis
En ego majores tua per vestigia laudes
Exequor attonita farier Invidia.
At tu, SANCTE PATER, *meritò cui contigit uni*
Terribilem in terris posse referre Deum,
Neu molles Elegos, tenues neu despice lusus,
Neu tibi quod parvum Musa peregit opus:
Fors majora dabit, ni cæpta everterit, ausa
Scindere vitai stamina, Persephone.
Nam canet ANDREAM *demissum ab origine vestra,*
Quantaque cœlestis gesta ferantur Avi.
Quod potes, innocuos CLEMENS *amplectere Vates,*
Arcadiæ pigeat nec meminisse tuæ.
Hoc est Lethææ sprevisse oblivia ripæ,
Hoc est Saturni reddere sæcla Patris.
Cum Vates in honore vigent, Pax candida floret,
Floret, & optatæ Copia juncta Deæ.
Tunc acies, tunc bella silent, tunc horrida duri
Militis in tenebris atterit arma situs.
At nos, queis Sacri Regis datur ora tueri,
Dicet fœlices sedula Posteritas.
Magnanime, o CLEMENS *per te fœlicia degit*
Ocia pacatis hostibus Italia.
Egressum cunis te frater Tybridis Arnus
Viderat Hetruscis ludere littoribus;
Ingenium, & vultum jàm Principis admiratus
Signa dedit magnæ conscia lætitiæ,

Ter

Digitized by Google

Ter caput immerſit, mediis ter ſuſtulit undis,
Et te, tandem inquit, Roma ſuperba manet,
Cui ſeptem gemino aſſurget de vertice; noſco
Noſco ora, hæc auguſti ora Leonis erant.
Principe te chelas, ſedemque Aſtræa relinquet
Autumni Auſonio jura datura ſolo.
Nec minor æquabit juſtos Clementia faſces,
Qua cum non dura eſt, difficiliſque ſoror.
Hinc te Caſtalides flavi prope Tybridis undas
Deductæ dicent ex Helicone Deæ.
Te juga Parnaſſi reſonabunt celſa, tuumque
Annoſis vivet nomen in ilicibus.
Dicite Io, noſtro quæ erratis margine, Nymphæ,
En mea majores urna refundit aquas.
Me ſupra Gangem, fontemque binominis Iſtri
Corsini attollet fama, decuſque mei.
Quis neget æternis tua mœnia condita fatis
Roma? iſtum ſervant ſi tibi fata Virum.
Arne Pater tali fortunatiſſime Alumno,
Evenit, votis eſt data Palma tuis.
Vidimus ingenti Clementem in ſede locatum,
Vidimus Hetruſci regna novata Patris.
Dii, quorum auſpicio vitales Hic trahit auras,
Servate optatum in ſæcula multa Caput;
Cumque Iſte (o ſerò) cognata aſcendet ad Aſtra,
Succedat meritis, imperioque Nepos.

IM·

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſs. P. Mag. Sac. Pal. Apoſtolici.

N. Baccarius Ep. Bojan. Viceſg.



IMPRIMATUR.

Fr. Jo. Benedictus Zuanelli Ordin. Prædic. Sacri Pal. Apoſt. Mag.


ROMA

Digitized by Google